



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Relatio Abbatis Theodori de Monacho Syræ Seueriano. Capvt CVI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

*Relatio Abbatis Theodori de Monacho Syria
Seueriano.*

C A P V T C V I.

Narrauit iterum nobis idem Abbas Theodorus, dicens: Xenodochium est hic prope Pharum, inter sanctam Sophiam, & sanctum Faustum. Qui autem illi præerat, die quadam orauit me, vt irem in Xenodochium, & ibi morarer paucis diebus. Abiens igitur inueni illic monachum quendam hospitio susceptum, Syrum genere nihil habentem præter cilicium, & pallium, & panes paucos. Stabat autem in vno angulo semper die, noctuq; psallens, & nemini loquens. Veniente verò die ¹ sancta Dominica, abij ad illum dicens: Veni, frater, ad sanctam Sophiam, vt communices ² sanctis, venerandisq; mysterijs. Qui ait: Non venio. Ad quem ego: Cur oro te? Ait mihi: Quia Seuerianus sum, & non comunico Ecclesiæ. Audiens ego, quia non ³ comunicaret sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ, simulq; videns illius optimam conuersationem, vitamq; virtutibus plenam, abij lugens in cellulam meam, & clausa ianua, ⁴ prostravi meipsum in faciem coram Domino, per dies tres, & orabam illum cum lachrymis multis dicens: Dominator Christe deus noster, qui propter ineffabilem tuam, immensamq; clementiam inclinasti caelos, & descendisti propter salutem nostram, qui incarnatus es ex sancta Domina nostra Dei genitrice semperq; virgine Maria, reuela mihi qui sint, qui bene, & rectè credunt, nosne, qui sanctæ Ecclesiæ iungimur, an qui Seuero consentiunt. Die verò tertia, venit mihi vox inuisibiliter dicens: Vade, Theodore, inspice fidem ipsius. In crasti-

um igitur profectus, sed ante illum, expectans videre aliquid, iuxta quod mihi vox dixerat: Et eum mansissem sedes quasi vna hora, & intuerer in ipsum stantem, & voce Syra psallentem, vidi teste Deo, filij, columbam s super caput eius stantem fuliginosam, veluti ex coquina venientem, squalidam ac foetidam. Tunc agnoui eam, quæ mihi apparuerat, caliginosam, foetidamq; columbam, ipsius esse fidem. Hæc autem nobis narrauit in veritate cum multis lachrymis, & singultibus, sancta ipsius anima.

1 *Dies sancta Dominica.*

2 *Nota sacram Eucharistiam appellari sancta, venerandaq; mysteria.*

3 *Qui hereticus est, non communicat sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ.*

4 *Vide triduanam orationem cum prostratione, & lachrymis.*

5 *Magna visio contra hereticos.*

Vita Abbatis Gerasimi.

CAP. CVII.

VNO ferè milliario distat à Iordane monasterium, quod Abbatis Gerasimi dicitur. In hoc monasterium aduenientibus nobis narrauerunt, qui illic morabantur, senes, de Abbate Gerasimo, quod die quadam ambulans super Iordanis ripam, obuium habuit leonem valde rugientem, suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeo vt ex hoc pes ipse intumisset, & sanie plenus effectus esset. Cùm igitur vidisset leo senem, ostendebat illi vulneratum ex infixio aculeo pedem, siens quodammodo, & obsecrans, vt illi curam adhiberet. Cū ergo vidisset eum senex tali necessitate constrictum, sedens apprehen-